

vel honorem, vel in carcere detineatur contra voluntatem suam, & si audierint aliquem, vel aliquos velle hoc facere bona fide, & sine fraude prohibebunt ne fiat, & si prohibere non poterunt, potestati, vel consulibus, vel consilio Alexandriae, quam citius poterunt manifestabunt. Item non erunt guida, vel spida ad damnum communis Alexandriae & possessiones, quas commune Alexandriae nunc habet, aut pro tempore adquisierit, vel tenuerit, adjuvabunt ad manutenendum, & defendendum bona fide, & sine fraude, & si sciverint aliquem velle auferre eis, quam citius poterunt potestati, vel consulibus, vel consilio Alexandriae denuntiabunt, & credentias, quas potestas, vel consul Alexandriae sibi dixerit, tenebunt privatas secundum quod eis dictum fuerit; nomina illorum, qui iuraverunt sunt hæc Semmaldus de Morbello &c. n. 82. Infr. D. Dalphinus, & D. Johanna hanc cartam fieri jusserunt.

*Venditio Puzzoli facta a marchione Othone
communi Terdonensi.*

141

M C C X.

Anno Incarnationis Domini MCCX., indictione XIII., in Terdona primo die mensis novembris. D. Otho marchio de Bosco renunciando exceptioni non numeratæ pecuniæ fuit confessus se accepisse CCCC. libras denariorum bonorum Papiensium a D. Othone de Mandello potestate Terdonæ nomine, & vice communis Terdonæ, pro quibus denariis finito pretio vendidit, ac tradidit ad proprium medietatem pro indiviso per allodium castrum, & villam Puzzoli cum omni integritate, & jurisdictione, & districtu, & comitatu, & curia ad eundem castrum, & villam pertinentem, & cum omnibus albergariis, successioneibus, pastis, teloneis, rosiis, angariis, perangariis, & cum omnibus terris cultis, & incultis, ripis, & ruinis, venationibus, piscationibus, aquæductibus, pascuis, & cum omnibus vassallis, & pedagis jam dicti Marchionis pro isto castro, & villa, & curte pertinentibus in integrum, & aliam medietatem istius castri, & villæ, quam tenent illi de Ovilio, & Obertus Canis in feudum, eodem modo, eo tenore, & cum eisdem rationibus, & pertinentiis, ut supradictum est in toto. Insuper dedit, & tradidit isti potestas nomine Terdonæ omnia jura realia, & personalia, & actiones reales, & personales, quæ, & quas habet, vel habere potest in loco Puzzoli in villa, & in castro, & curte, & vassallis, & hominibus ipsius loci, & districtus eo modo, quod jam dictum commune habeat, & teneat omnia ista, ut dictum est, & scriptum, & ordinatum omnia cum omnibus ad istum Marchionem in isto loco, & villa, & castro, & curte, & districtu pertinentia in integrum, & faciat a præsentis die in antea per allodium jure proprietario nomine, quidquid voluerit sine contradictione istius Marchionis, suorumque heredum, & cum omni sua, suorumque heredum legitima defensione ab omni homine cum ratione, & restitutione pro temporis melioratione in pœna dupli cum stipulatione subnixâ, & pro evictione

jam dictæ venditionis obligavit ei omnia bona sua pignori habita, & habenda renunciando omni juri, quo posset se tueri, vel agere aliquo tempore, si esset deceptus ultra dimidium justî pretii in toto, vel in parte. Insuper manu sua propria juravit ad sancta Dei Evangelia, quod ista omnia, ut dictum est per allodium detinebat, & quod de ista venditione nulla venditio, obligatio, alienatio alicui facta est, quæ jam dicto communi noceat, & quod de ipsa venditione non habet agere, nec causari istud commune, aut cui dederit; & si briga, vel contentio aliqua exinde ei apparuerit, semper in legitima defensione stare habet ab omni homine cum ratione, ut supra legimus in integrum, & quod hanc venditionem firmare faciet filiis, & nuribus, sic Deus illud adjuvet, & illa sancta Dei Evangelia. Interfuerunt testes Sigebaldus Busconis, Obertus Judex, Joannes de Artono, Lambertus Notarius, Albertus de Campo, Otho Longus. Ego Sigebaldus Imperialis Aulæ Notarius interfui, & hanc cartam rogatus tradidi, & scripsi.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCX., indictione XIII., VIII. die intrante novembris in loco Puzzoli D. Otto marchio de Bosco dedit corporalem possessionem D. Guidoni Ranfo judici, & Vicario, D. Ottonis de Mandello potestatis Terdonensis.

Confirmatio venditionis filior. Ottonis marchionis.

M C C X.

142

Anno Dominicæ Incarnationis MCCX., indictione XIII., VIII. die intrantis novembris, in Terdona D. Turcus, & D. Albertus filii D. Othonis de Bosco juraverunt manibus propriis ad sancta Dei Evangelia firmam tenere illam venditionem, quam pater eorum D. Otho fecit communi Terdonæ de loco Puzzoli, & de castro, & villa, & curte, & districtum, secundum quod in instrumento venditionis continetur, & quod de cetero de illa venditione in toto, nec in parte inquietare habent, nec molestare commune Terdonæ, nec cui dederit. Et si briga, vel contentio ei apparuerit in legitima defensione stare habent ab omni homine cum ratione in pœna dupli. Interfuerunt testes Nicolaus de Armellina, Thedisius Cachus, Rabaldus Malpaxatus. Ego Sigebaldus Imperialis Aulæ Notarius interfui, & hanc cartam rogatus scripsi.

Apocha debiti a Sindico civitatis Aquis soluti.

M C C X.

143

Anno Domini MCCX., indictione XIII., die lunæ VIII. intrantis novembris. In Alexandria D. Baratta de Foro confessus fuit se recepisse solutionem totius debiti ab Uberto de Burgo Sindico communis civitatis Aquis nomine ipsius communis, & se quietum, & solutum vocavit de toto debito XL. librarum, minus libris X., exceptis libris CXLII, quas infra scriptus Ubertus de Burgo confessus est remansisse de debito prædicto; & promisit eas Ubertus nomine ipsius communis a proximis calendis decembris ad unum annum solvere; & ab illo termino in antea liceat eidem Barattæ istos